

/ Illustrissime Domine Palatine. Literae Illustrissimae D.V. cum adjuncto pio ac pretioso munusculo me simul, et laetificaverunt, et contristarunt. Laetificaverunt ex visitatione tanti Principis, in quo non minus lucet pietas, quam nobilitas. Sed valde contristaverunt, quod ex iis literis intellexi, me pluris fieri ab hominibus, quam revera sim apud Deum: vere enim, ut S. Franciscus dicere solebat, tantus est unusquisque, quantus est apud Deum, non major, aut minor. Oret igitur Dominus meus Palatinus Deum nostrum, ut misereatur mei, et per gratiam suam talem efficiat, qualem non pauci viri
/0 boni me esse sibi persuadent. Libellus ille meus, praeter omne meritum suum, et praeter omnem spem meam, gratus fuit omnibus Ecclesiae Sanctae filiis; utinam etiam utilitatis aliquid pariat. Edidi his diebus alium libellum, quasi Benjamin fratrem, de aeterna felicitate Sanctorum: exemplum unum mittam Illustrissimae D. Vestrae
/5 per Patrem Nicolaum Lancicium. Scio munusculum meum non posse comparari cum Rosario, et cordibus e succino pretioso, quae ad me misit Illustrissima D. Vestra; sed libenter patior, me superari, ut locus sit actioni gratiarum, quas ex animo ago Illustrissimae D. Vestrae, cui precor à Deo prosperitatem in hoc saeculo, et felicitatem aeternam in futuro. Datum Romae die 29. Martii. 1616.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Addictissimus atque ad omne obsequium paratissimus

Epist. famil. CXXXI. - Volumen Jurium fol. 52^v

Summ. assid. p. 107